

1536 ratus esset, præclaræ gerendarum rerum occasiones effluxere.

*Franciscus
Rex Lugdu-
ni vires cõ-
trahit.*

*Gallicarum
partium mi-
lites in Mi-
randulano.*

*Morborum
vis in Cæ-
saris ca-
stris.*

*Cæsar Ge-
nerum regre-
ditur.*

*Antonii Le-
væ obitus.*

*Cæsar Ful-
gosus a Ve-
neris exilio
damnatus.*

*Veneri ora-
tores ad Cæ-
sarem.*

*Petrus Gon-
zalus Men-
dozza, Cæ-
saris orator
ad Veneros.*

*Cæsar's va-
ria propo-
sitiones de
Mediolanens
ducatu con-
ferendo.*

Nam Rex, qui repentino Cæsaris adventu commotus ea, quæ ad bellum necessaria forent, minime expedire potuerat, inter-
ea colligendi vires opportunitatem nactus, Lugdunum se con-
tulerat; Germanorum, & Helvetiorum magnis coactis copiis,
non modo ad sustinendos Cæsareanorum impetus, verum et-
iam ad bellum inferendum se comparaverat; ac Italicorum du-
cum ope, qui Mirandulana in ditione magnam militum manum
coegerant, novos motus Genuæ moliebatur. Copiæ Cæsaris,
quæ ad Aquas Sextias castrametabantur, multis incommodis ve-
xari, ac fame laborare cœperunt, cui cum gravitas cæli acce-
deret, & per militum vulgus morbi grassarentur, ita ut passim
ob frequentia funera castra exhaurirentur, summis undique dif-
ficultatibus circumseptus, de invadenda Gallia consilia abjicere
coactus, conatu Gallico frustratus, Genuam reversus est; cum
Antonius Leva, paci semper adversus, turbidorumque consi-
liorum auctor, supremum in Gallia diem obiisset. Per eos dies
Cæsar Fulgosus, qui tunc Veronæ cum ala leviorum equitum
morabatur, cum Senatus injussu ad Gallicas partes fovendas
Genuam contendisset, militari stipendio, ac dignitate exu-
tus, perpetuo exilio a Senatu damnatus est, Francisco Gal-
liarum Rege de Venetis plurimum conquerente, quod illius
consiliis, & conatibus adversarentur. Cæsari Genuam adven-
tanti quatuor oratores missi, Nicolaus Theupolus, Marcus
Antonius Venerius, Marcus Antonius Cornelius, Antonius
Capellius.

Atque iisdem fere diebus Cæsar Petrum Gonzalum Men-
dozzam ad Patres misit, ut de belli eventu, de reditu in Hi-
spaniam certiores faceret, propensumque ad pacem cum Gal-
lo ineundam animum significaret: Regi trimestre spatium ad
deliberandum statuisset, an Mediolanensi imperio Engolismen-
sem Ducem, Christierna ex Francisco Sfortia vidua uxore ac-
cepta, præfici vellet; ni oblatam conditionem reciperet,
Ludovicum Lusitanæ Principem, aut Emanuele Caroli Sa-
baudiæ Ducis filium Insubrum titulis decoraturum. Ea in re
Senatus sententiam exquirere, & ad strictiora fœdera Italo-
rum Principum flagitare, ut Italiæ pax, ac tranquillitas nullo
hostium conatu labefactari, aut interturbari posset. Senatus

a Me-